



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quòd externarum rerum quasi episcopum quendam se esse professus est.
Cap. XXVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII DE VITA

Quòd externarum rerum quasi episcopum quendam se esse professus est.

CAP. XXIII.

EX quo etiam factum est vt cum episcopos nonnullos conuiuio excepisset: ipse se nobis audientibus episcopum appellaret: his ferè verbis. Vos inquit intra ecclesiam: ego extra ecclesiam à Deo episcopus constitutus sum. Itaq; cum quæ loquebatur eadem mente secum cogitaret, animum in omnes qui eius suberant imperio intentum habuit, hortatus pro virili, vt piam omnes vitam excolerent.

Quòd prohibuerit impia idolis sacrificia, & occulta sacra fieri, & gladiatorum singulares pugnas, & Nili accolarum fœdam intemperantiam.

CAP. XXV.

HAC etiam ratione adductus est, & recte sane, vt frequentibus legibus & edictis præciperet omnibus ne idolis immolarent: nec oracula curiosè sectarentur: nec statuas dedicarent: nec occulta sacrificia facerent: nec ciuitates crudeli & impia gladiatorum cede contaminarēt: Cum vero apud Aegyptios & Alexandriae patrio more fluuius quidam ab hominibus multerosis coleretur: ad hos etiam perlata lex est, qua cautum vt omnis hæc Androgynorum gens tanquam adulterina & spuria è vita tolleretur: neque cuique liceret, vel oculis intueri impura hac lasciuia agrotantes. Sed cum superstitiosi existimarent, minime deinceps fluuium pro consuetudine sua in agros suos effluxurum: Deus fauens imperatoris legi, longè secus quam illi expectauerant vberimum flumen reddidit. Nam cum impura illa fex, quæ suis sordibus ciuitatem turpificasset, profus esset sublata: fluuius quasi repurgata expiataq; tota regione: maiore quàm ante cursu ferebatur: & magnis ac abundantibus gurgitibus intumescens omnes agros quaqua versum irrigabat: tanquam re ipsa demonstraret homines impios & sceleratos remouendos esse: & ad Deum solum omnis salutis authorem omnium præclararum rerum causam esse referendam. Sed huius generis cum penè infinita ab imperatore singulis in prouincijs gesta sint: magno sanè

ocio